

A P P E N D I C E S

A. 1.

**Anna infans Poloniae
Gregorio XIII, pontifici maximo**

Varsaviae, 26 XI 1574.

Gratum animum suum pro litteris sibi missis exprimit et se ipsam ac totam Jagellonum gentem benevolae summi pontificis memoriae commendat. Nomine suo et defuncti fratris sui (Sigismundi Augusti) atque sororum (Catharinae et Sophiae) intercessionem exposcit in recuperandis illis celebribus "summis Neapolitanis", in qua re Romae intercessionem suam praebet etiam card. Stanislaus Hosius. In memoriam revocat in hoc negotio operam suam interposuisse regem Suetiae (Ioannem III Vasa, maritum principis Catharinae Jagellonicae) et priorem nuntium apostolicum in Polonia, Vincentium Dal Portico.

Autogr.: AV, Nunz.Pol. 7 f. 220r-221v. In f. 221v inscriptio, vestigium sigilli.

Beatissimo Padre,

Post oscula pedum beatorum. Havendo ogni quasi settimana nova gravissima dele molte. Et singolari gracie dela Santità Vostra verso me, non m'è più parso convenevole manchar del debito mio, anzi ho deliberato ringratiar la Santità V.ra per mezo di questa lettera scritta di mia mano, come faccio con ogni debita riverentia, rendendole debita gratia humilissimamente a Santità V.ra, che la si degna prender tanta protettione delle cose mie, non sparagnando né favori suoi, né fatiche di sorte nessuna per [...]a) la giustitia mia appresso costoro, li quali in ogni sua attione demonstrano esser disposti di voler opprimerla. Et ruinarla, contra ogni dovere, et contra la istessa professione loro. Per tanto priego et priegarò continuamente la divina Maestà per il felice stato della Santità V.ra, in remunerazione di tante cortesie dimonstratemi nelle occorrenze mie che sono minima figlia et pecorella della Santità V.ra.

Et perché a chi debbo assai, a questo medesima vorrei dever il tutto, ricorro di nuovo alla Santità V.ra, padre di tutti quanti orfani. Et protettor mio speciale, dicendogli con ogni debita humiltà, che essendo io per la gratia di Dio nata de quell [sic] sangue che sono. Et essendo appresso avezza di spender tutto quasi tempo della vita mia in quelli essercitii Christiani, convenienti al stato mio verginale, sono ridotta adesso per la morte di tutti miei parenti. Et maggiori, secondo piacque alla [220v] Maestà divina, a quell termine d'orfanità che in luogo dell'i miei soliti essercitii pii et christiani, voglio

per la malignità di certe persone, adentrar in una certa sorte dei negocii, in tutto alieni. Et contrarii al mio uso et credenza, hora litigando per forza, hora cercando continuamente tanti et tanti testimonii, che son herede delle miserie di questo mondo, che son figlia de quello padre et di quella madre, et son sorella di quell fratello. Et che son christiana; et che son donna, et che son viva. Et simil altre cose o profane, o soverchie o pur differente dalla mia solità intentione.

Supplico la Santità V.ra per l'amor di quell Giesù Christo ha constituito qui la Santità V.ra Vicario suo, per dar a tutti l'orfani, delli quali son io minima, et infelice serva sua, ricapito d'haver dove ricorrer nelli bisogni loro. Liberi me la Santità V.ra da questi travagli, che possi con la gratia divina et l'aiuto dalla Santità V.ra tornar quanto presto alla mia solitarità, di priege la divina Maestà, per li peccati miei, et per la conservatione della santa fede. Et de tutta la Christianità li travagli miei potrà Santità V.ra intendere dal Rev.mo Cardinal Varmiense¹, che non voglio io impedir con questo altre occupationi mie. Et tanto più quelle della Santità V.ra. Dirò solo questo, che antivedendo io proceder tutto questo dalli Ministri del Ser.mo Re Cattolico, mio strettissimo [221r] cognato² et parente, sono di parer, il che supplico la Santità V.ra, degnisi mandar quanto prima in Ispagna in nome mio qualche suo particolar nuncio³, per dar fine hormai quella Maestà Cattolica a questi soli negocii miei, secondo la regola della giustitia et pietà christiana; et secondo la parentela ch'è tra noi, acciò non naschi poi col tempo occasione di qualche tumulto in la Christianità, della quale Santità V.ra è padre et pastore universale. Il nuncio che mi pareria apposito per questa causa saria il Rev.do Portico, protonotario suo⁴, et già Nuncio in questo Regno. Il qual, per la molta prattica tiene in questo negocio, potrà qui darlo destramente, con la dignità di quella Sedia della Santità V.ra. Et con sodisfattione della giustitia mia lo riccomando molto alla Santità V.ra. Baciando humilmente li piedi di quella, alla cui bona gratia riccomando di novo questo più che orfano stato mio. Dato di Varsovia a die XXVI Novembris MDLXXIIII.

Della Santità V.ra

obedientissima et humiliissima
figlia et serva
Anna Infanta di Polonia

a) *Sequitur verbum indistincte scriptum.*

¹ Stanislaus Hosius; cfr. N. 234.

² Ioannes III Vasa.

³ Agitur de iterum atque iterum repetitis petitionibus Annae Jagellonicae eiusque sororum (Catharinæ et Sophiae Jagellonicarum), quibus expetebat intercessionem in recuperandis "summis Neapolitanis" (quas vocant, cfr. N. 211). In eadem epistula Anna facit mentionem novissimi interventus papae Gregorii XIII, qui intercedente Stanislao Hosio 20 XI 1574 miserat Neapolim cubicularium suum Camillum Capiluppi; vide: Julian Bartoszewicz, *Anna Jagiellonka* [Anna Jagellonica], Kraków 1882, t. I p. 310.

⁴ Vincentius Dal Portico.

A. 2.

**Gregorius XIII, pontifex maximus
Henrico regi Poloniae et Galliae**

Romae, 13 XII 1574.

Pro litteris sibi missis gratias agit et mittit confirmationem electionis ad munus coadiutoris Vilnensis Georgii Radziwiłł. Extollit dotes spirituales candidati, probat praesertim ipsius pietatem et vitam exemplarem laudat.

Cop.: AV, Arm. 44 ms 22 f. 286 r-v.

Charissime in Christo filio nostro Henrico, Francorum Regi Christianissimo et Poloniae Regi Illustri, Gregorius PP XIII.

Charissimo in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Multa Nos hactenus retardarunt non solum a gratificando Maiestati Tuae de confirmando Georgio Radivilio a Venerabili Fratre Episcopo Vilnensi Coadiutore electo⁵, sed etiam a respondendo iis litteris, quibus eum summo-pere Nobis commendabas. Neque enim volebamus Tuae Maiestati negare, ut cum satisfacere cuperemus, videbamus rem esse magnis difficultatibus implicatam: obstabat enim Georgii aetas, parentis haeresiarchae perfidia et animus non solum usque ad mortem in ea impietate retinenda obstinatissimus; sed de ea etiam post mortem domi in Sathanae synagoga ibi constituta alenda atque amplificanda solitus. Haec igitur Nos hactenus suspensos atque implicatos habuerunt⁶.

Nunc autem ad eam spem, quam concepimus ex tua gravissima [286v] confirmatione de Georgii pietate, vitae ac morum integritate, doctrina et natura ad optima quaeque propensa; accedit ratio quaedam a Nobis excogitata, qua sine ulla reprehensione et periculo poterimus tuae postulationi, nostro-que tibi gratificandi, Georgiumque ornandi desiderio satisfacere, quod qui-dem desiderium non necesse habemus verbis confirmare, re enim ipsa prope diem declarabimus. Caeteris etiam in rebus omnibus, quantum quidem praestare poterimus, Nos paratissimos invenies ad ea omnia, quae Tuae Maiestati cordi esse intelligemus. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris. Die XIII Decembbris MDLXXIIII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

⁵ Georgius Radziwiłł, coadiutor Valeriani Protasewicz, epi Vilnensis.

⁶ Cfr. N. 170.

A. 3.

**Henricus rex Poloniae et Galliae
omnibus Polonis**

[s.l.], 3 II 1575.

Salutat senatores Polonus et testatur oratores Poloniae in Galliam advenisse (Hieronymum Rozdrażewski et Ioannem Thomam Drohojowski). Nunquam eosdem oratores Polonus Senatui relatuos esse, quid rex Henricus de adventu suo in Poloniam sentiat; exhibituos etiam esse instructiones regias ac responsiones ad quaestiones ei in legatione ipsorum factas.

Cop.: AV, Nunz.Pol. 8 f. 121r (litteris Vincentii Lauro ad Gallium die 12 IV 1575 datis, adjuncta; cfr N. 279).

A. 4.

Instructio regis Henrici ad conventum particularem terrae Ravensis missa

Lutetiae Parisiorum, 28 II 1575.

Nuntios terrestres in conventu particulari terrae Ravensis congregatos salutat. Exponit postulationes regias ad nuntios directas. Dolorem exprimit propter controversas interdum et falsas opiniones de absentia regis in Polonia sparsas. Explanat causas sui ex Polonia discessus post mortem fratris sui Caroli IX (regis Galliae) facti. Itinerarium suum ex Polonia in Galliam confectum describit. Attestatur adventum oratorum Polonorum in Galliam (Hieronymi Rozdrażewski et Ioannis Thomae Drohojowski). Tranquillat nuntios terrarum et affirmat redditum suum in Poloniā in dies dilatum ac procrastinatum condicionem internationalem Poloniae et Lithuaniae non esse praeiudicaturum. In praesentia Poloniā cum omnibus fere vicinis suis pacem servare, etiam cum Turcis, Tartaris et Moscovitis. Reges Suetiae et Daniae erga Polonus amicitiam colere. Iterat promissionem mittendi pecuniam ad alendum militem. Petit, ne in Conventu Stężyensi proxime futuro legitima regis auctoritas quodammodo minuatur sive debilitetur. Hortatur nuntios, ut in consultationibus ac deliberationibus suis in Comitiis peragendis bonum Poloniae et Galliae primo loco ponant.

Cop.: AV, Nunz.Pol. 8 f. 45r-48r (manu Iosephi Monachi secretarii nuntii facta).

Nuntius noster statibus et ordinibus nostri Regni Poloniae in Conventu particulari terrarum nostrarum congregatis.

Inprimis gratiam nostram declarabit, studium et favorem nostrum exponet, salutemque et omnem foelicitatem illis precabitur. Tandem dicet intellexisse nos ex illis Nunciis Regni Poloniae, qui ad nos e Convocatione Varsoviensi ablegati fuerunt⁷; quam Ordinibus Regni illius haec nostra profectio tanta cum festinatione a nobis in Galliam suscepta praeter opinionem acciderit; quam periculosa illi Regno iudicetur, et non parvo illius Regni dedecore et iniuria facta, rogatosque nos esse, ut ad diem Maii duodecimam ad illud Regnum reverteremur⁸. Quod nisi faceremus, eum esse illius Regni statum, ut Rege diutius carere non possit; sed de alio Rege eligendo agere necessario cogatur.

Ad quam Regni illius nostri postulationem etsi in genere per eosdem Regni Nuncios Ordinibus respondimus, tamen voluisse nos et per Nuncios proprios in Conventibus Terrarum particularibus eadem proponere, ac quae sit animi nostri sententia, quae voluntas, quae mens, quae causa eiusmodi profectionis nostrae, quae a nobis in Regno illo nostro debentur, tam Senatores quam caeteros ordines edocere. Atque in primis dicet ac ordine persequetur: Nos non ullo sinistro studio aut indeliberata quadam praecipitantia ad Regnum illud assequendum animum adiecissemus, sed constanti benevolentia et gravi consilio illud ita amplexos esse, ut de eo non tantum ageremus, sed etiam cum multis Principibus illius Regni competitoribus certaremus. In quo nostro studio etsi non defuerunt plerique, qui nos ab expetendo tam longinquum Regno abducerent; quod et eius causa in sempiternum Galliae validicendum esset, quod tam laboriosum et onerosum esset. Tamen nos tanto maiore eius desiderio incendebamus, quanto maiores virtutis declarandae ac gloriae comparandae occasiones habere videbatur. Ita postquam eius Regni Rex electi et declarati sumus, nec periculorum magnitudo, neque impensarum necessitas nos deterruit, quominus Regno clarissimo et nobis divinitus conciliato primo quoque tempore potiremur ac conspectu tantae Nobilitatis, cuius benevolentia ad hoc fastigium perveneramus, frueremur.

[45v] Quod quidem Regnum cum ingressi essemus, non solum de studio nostro nihil diminutum est. Verum etiam ad priora plurimum accessit; vidi mus Senatus amplitudinem, vidimus Nobilitatis frequentiam, vidimus ardentissimas hominum erga nos voluntates; vidimus bonitatem ac fidem, quae res tantos stimulos in animo nostro ad Regnum illud amplectendum excitavit, ut nos folices fore existimaremus, si nullo unquam tempore ab eorum hominum conspectu et praesentia avelleremur.

⁷ Cfr. A. 3.

⁸ Agitur de termino redditus Henrici in Poloniam (Stęzyca) in Comitiis Convocationis Varsoviensisibus ad diem 12 V statuto.

Dolorem quidem interdum capiebam de iis controversiis, quae inter ordinis habitae sunt. Sed earum compositionem (quam partium nostrarum esse intelligimus) commodiori tempori et eorum concordiae ac caritati mutuae, quae ipsis apud omnes nationes maxime laudi est, reservabamus. Accidit interea (ut est rerum humanarum vicissitudo), ut frater noster desideratissimus Christianissimus Galliarum Rex Dominus Carolus nonus e vivis sublatus esset⁹. Nuntiabatur mors fratris nostri amantissimi, nuntiabantur incendia et pericula Galliae, nuntiabatur ultima sors et convulsio rerum omnium, imo et Regni nostri paterni amissio, nisi ea consilia acciperemus, ut summa celeritate ad illud perveniremus et famam profectionis nostrae propter adversarios nostros anteverteremus. Quid ageremus? hic Regnum nostrum amantissimum ac in sempiternum de nobis ac nomine nostro benemeritum; illic patria, illic mater, frater, amici; hic pax et unitas omnis felicitatis parens, illic civilis belli incendiis omnia inardescabant, hic Senatu moderante. Equestri fortissimo ordine assidue non tantum pro se, sed etiam fere tota Republica Christiana excubante, et nativa quadam probitate ac virtute pro patriae salute dimicante in unum spectantibus omnibus omnia securiora; illic efferatis factionum animis ad extremum omnia ruere. Nemo ita nos ab humanitate eiusque omni sensu alienos esse iudicet, ut tum in illa novitate non solum mens tota, sed etiam praecordia ipsa nostra non maxima solicitudine correpta fuerint.

Versabatur ante oculos nostros patriae nostrae Reginae, Matris nostrae charissimae¹⁰, sors (nisi subito veniremus) difficillima, Regni et avitae haereditatis amissio. Versabantur in eo adeundo pericula infinita; versabantur in eo calumniae et varia de nobis hominum iudicia. Unica res tantum animum nostrum solabatur: spes nimirum certissima de divino auxilio et Polonorum constantia et prudentia concepta.

[46r] Ut enim divina gratia ac eorum benevolentia nobis illud Regnum assecuti sumus, ita eodem praesidio et hoc alterum nostrum haereditarium sine dispendio utriusque nostrum adire posse ac tueri nobis pollicebamur. Itaque omni periculorum motu abiecto totaque fiducia rerum nostrarum in praepotentis Dei praesidiis praefixa, nos in viam dedimus; quod quia insciis omnibus fecimus, hoc non cedit dedecori, sed potius gloriae ipsorum, qui ita patriae suae amantes et nostrae praesentiae cupidos omnes esse iudicavimus, ut neminem inveniri posse crederemus, qui nobis ad eam rem consensum suum accommodaturus esset. Celandos itaque nobis omnes potius esse existimavimus, quibus aequaliter omnibus nos obligatos esse intelligeremus; quod non esse vel odio nationis (quod esset iniustissimum in eos, qui beneficio nos affecerint) vel ullis aliis de causis, quae a quibusdam scribitur. Factum vel hoc ipsum declarat, quod etiam Gallos nostros viros nobiles et nobis dilectos ita hoc nostrum consilium celaverimus et eosdem post nos relique-

⁹ Carolus IX Valesius, rex Galliae, mortuus est 30 V 1574.

¹⁰ Catharinae de Medicis.

rimus. Ut autem vobis constaret causa profectionis nostrae, reliquimus litteras ad ordines, quibus animum nostrum explicavimus, ad concordiam mutuam, et salutis publicae custodiam omnes exhortati sumus.

Regnum illud non derelicturos nos testati sumus. Reditum nostrum ope lata alteri Regno promisimus et hoc ex itinere nostro Vienna, Ferraria, Taurino toties repetivimus¹¹. Quae posteriores, quod prius ad eos pervenerint, hoc non nostra causa factum esse, iam ordines intelligunt. Interea Ordines Convocatione quadam Varsoviensi facta ad nos Nuncios suos miserunt¹², quibus quid responsi dederimus etsi iam fortasse constat omnibus, tamen ut melius constet de voluntate nostra animi nostri sententia dicet Nuncius. Iam illis planas esse causas profectionis nostrae et ita quidem, ut ne adversario quidem acerrimo facti nostri reprehendendi materia suppetere iure possit. Et animum quidem, quem in Poloniā cum Dux esemus attulimus, eundem et nunc erga Regnum illud iam Rex factus et alterius huius patriae nostri Regni Galliarum retinemus, et in ea cogitatione et cura sumus, ut et eius utriusque Regni recte gubernandi muneri satisfaciamus, et Regni Poloniae aequalem cum Regno Galliae rationem habeamus; plus etiam quodam modo nos illis debere profitemur, qui sceptrum, quod [46v] cuivis alii deferre poterant, nobis detulerunt, seque et suas fortunas omnes nostrae fidei sponte commiserunt.

Quod ad redditum nostrum pertinet, dolet nobis non mediocriter, ita de benevolentia et constantia nostra erga Regnum illud ab illis dubitari, ut nos ad certitudinem reditus nostri quaedam praefixione diei et quibusdam confoederationibus astringere non dubitaverint.

Quasi vero ad id astringi nos oporteat, quod libentes facere volumus. An nos ita parum amantes existimationis esse putant, ut subditos nostros, qui fidem nostram secuti essent, ita relinquere, ac veluti praedam hostibus nostris ac eorum obiicere vellemus? An non putant nos esse cum iis libenter, per quos nomen nostrum immortalitati consecratum est? Non ita sumus vel immemores vel ingrati, ut ea non consideremus; sed nos illud non a malevolentia in nos ulla profectum, sed summa Reipublicae necessitate expressum esse iudicamus; quod discessu nostro ita orbatam Rempublicam suam et a nobis non tantum corpore, sed etiam animo derelictam esse putarent, ac inde varia pericula Reipublicae pertimescerent, de qua necessitate ita eos statuere oporteat.

Si Deus illud Regnum ita integrum et incolumē, antequam illud asserueremur, conservavit, et nobis tradidit; multo magis nunc cum iam nobis partum et datum conservaturum esse, praesertim cum et ipsi neque nobis ipsis neque Regni illius necessitatibus deesse certum et deliberatum habeamus. Caeterum quod maioribus periculis Rempublicam obnoxiam esse exi-

¹¹ Vindobona, Ferraria, Augusta Taurinorum: urbes, quas Henricus Valesius in fuga sua ex Polonia suscepta pertransire coactus est (17 VI 1574).

¹² Hieronymus Rozdrażewski et Ioannes Thomas Drohojowski.

stimant; quod nulla foedera ex parte illius Regni cum externis Principibus constituerimus vel renovaverimus; illud etiam brevitati temporis imputabunt, quo non omnia tam subito confici transigi potuerunt. Cum autem vicinos omnes Regni nostri Poloniae tam amicos quam hostes notos habeamus (quod temporis brevitas foederibus publicis negavit, id nos et persona nostra propria et litteris nostris ac Nunciis ubique providimus, ut ne Regno quicquam incommodi, donec ab eo abessemus, conciliaretur; quod sat scimus Dei beneficio et vigilantia nostra nullo hactenus damno affectum esse.

A Turca pax illis est. A Tartaris plusquam aliis temporibus securitas. Moscus non admodum se commovet. Rex Sueciae¹³ amicus est. Rex Daniae¹⁴ favet. Caesaria vero Maiestas caeterique etiam Germaniae Principes¹⁵, quam nobis etiam [47r] et nostra causa illi Regno devincti sunt, hoc et nos assidue cognoscimus et Regnum illud sine dubio experietur. Quae itaque tanta pericula sunt, quae commemorantur? Num interna (ut dicunt) homicidia, invasiones? At iuris dicendi rationes a se institutas habent, quas etiam, uti omnibus Regni partibus expedierit, ratas habebimus et confirmabimus. Quid igitur restat?

Hoc, in persona ad eos veniamus, ut munia nostra impleamus. Quam rem quidem nos etiam nullo monitore facturi sumus propter conscientiam et existimationem nostram; et his rebus, quae vel ab ipsis expetuntur, vel a nobis susceptae sunt et confirmationibus magna integritate libertatum ipsorum satisfacturi sumus; ut nihil nec in officio nostro Regio, neque animi voluntate merito desiderari possit. Ac iam Oratores nostros praemittimus, qui et militum Regni et Aulae nostrae stipendia de pecunia nostra persolvent; et caetera cum Ordinibus agant, quaecunque ad adventum nostrum in usum Reipublicae illius ac Regni nostri necessario conferenda esse videbuntur Quapropter cum optimo animo Regnum illud expetiverimus et Rex legitime electi sumus, et Regnum illud foeliciter ingressi omnibus annuentibus et faventibus inuncti et sacro diademe insigniti sumus, et iura ac libertates omnes publico iureiurando confirmaverimus; et tam consiliis de Republica, quam iuridecentis sedis Regalis possessionem acceperimus; et gravissima necessitate alterius Regni haereditarii nostri requirente, ab eis proficentes nulla nec iniuria nec incommodo eos affecerimus; nullamque vel spreti (quod absit) vel derelicti Regni significationem dederimus; ac ad eos redire et muneri nostro Regio respondere velimus.

Ipsis, qui bona nostra Regia et Reipublicae occuparunt, stipendia pecunia nostra dissolvi curemus; nullam iustum videmus causam, cur Regnum nobis devotum, nobis datum, commendatum et traditum a fide sua nobis debita recedere, ac si ad diem designatum adesse forte non potuerimus, a nobis cum indignitate nostra et suo discrimine deficere debeat. Hortabitur ita-

¹³ Ioannes III Vasa.

¹⁴ Fridericus II, rex Daniae et Norvegiae.

¹⁵ Maximilianus II, eius frater: Ferdinandus, et filii imperatoris: Rudolfus et Ernestus.

que illos tam Senatores quam caeteros Ordines noster Nuncius, ut ea omnia sibi ante oculos ponant, et tam pericula, quae ex mutato Rege in se concitarent, quam indignitatem nostram Regis sui expendant, et ab aliis consiliis recedant, quae ex erronea suspicione a nobis contemplent [47v] ac derelicti Regni (quod nobis carissimum est, ac esse debet), non autem ex certis et iustis causis ab ipsis ineuntur. Atque monebit nomine nostro, ut ab eo Conventu Sthezicensi supersedeant, aut si supersedendum sibi aliquibus de causis non putaverint, ne quid praeter nos Regem suum legitimum et authoritatem nostram Regiam ibi statuant. Quandoquidem nos in hanc curam maxime incumbimus; ut si non ad eam diem in illo Regno adsimus ac non multo post Oratores nostros ad indicta a nobis cum consilio consiliariorum nostrorum Regni illius generalia Comitia de iure et more divorum antecessorum nostrorum Poloniae Regum indici solita, subsequamur. Habeant eius rationem, quod neque nostra neque cuiusvis alterius culpa intercessit, quod e Regno illo secesserimus, sed solius Dei voluntas, quae nos et huius paterni Regni Regem voluit esse, ac nobis eam necessitatem hoc modo eius conservandi imposuit. Habeant amoris nostri erga Regnum illud et nationem eorum. Mores sint maiorum suorum, qui maximam semper Regum suorum necessitatum rationem habuerunt. Habeant nominis, laborum, periculorum, vitae et valetudinis, quae in acquirendo et adeundo illo Regno subiimus.

Habeant et sumptuum, quibus parcere nec voluimus nec volumus, etsi in his necessitatibus tantis et huius alterius Regni nostri. Habeant etiam celebris eius cum Regno Franciae coniunctionis, in quo Rex eorum existens et utiliores et gloriosiores esse possumus et volumus. Habeant nominis sui existimationem ac virtutis sua, quibus cum hoc laudabile fuerit apud omnes nationes, quod Reges suos summa fidei constantia semper coluerunt, non viderentur sine maxima culpa vel sua, vel nostra semel nobis data fide recessisse. Habeant postremo salutis sua propriae; nec Rempublicam suam in tranquillo portu consistentem in omnes fluctus et difficultates praecipient. Nos sane certo ita illorum virtuti confidimus, ut nulla res sit, quae nobis diversum de illis persuaderi possit. Et hoc quidem pacto cum esse veros Reipublicae filios declarabunt, nos sibi in perpetuum ad omnia sua comoda et ornamenta devincent.

Aget hoc Nuncius noster cum ordinibus in praedicto Conventu congregatis, et omnia ut singulari fide et diligentia referet atque exponet. Quae mandata nostra manu propria [48r] subscrisimus, et sigilli nostri Regii impressione munire fecimus. Datum Parisiis ultima Februarii Anno Domini 1575. Regnorum vero nostrorum Poloniae secundo, Franciae primo.

Henricus Rex.

A. 5.

**Iacobus Uchański, aepus Gnesnensis
Henrico regi Poloniae et Galliae**

[Sochaczewiae, post 6 III 1575.]

Memoria repetit Regni Poloniae pacem et tranquillitatem, quae ante regis Cracovia discessum ab ordinibus et statibus Reipublicae vigilanter et diligenter servabantur. Intimum ablegatum suum in Galliam mittendum (Stanislaum Sandivogium Czarnkowski), qui coram exhibitus sit regi condicionem politicam et praesertim religiosam in Polonia exstantem. Sperat fore, ut eius missio futuris sortibus Regni Poloniae utilis et commoda sit.

Decifr.: AV, Nunz. Pol. 8 f. 65r-66r (litteris N. 252 adiunctum).

Reg.: AV, Nunz. Pol. 10 f. 98v-102r.

- **Ed.:** Wierzbowski UI, p. 237.

Lettera del'Arcivescovo al Re

Cum ante Sacrae Maiestatis V.rae discessum Regni huius tranquillitatem memoria repeto, ac praesentem Reipublicae statum mente revolo (versor autem assidue in ea cura et cogitatione), maximo certe animi merore conficio, quod omnia factiosorum ac popularium hominum audacia ita in dies perturbari oculis cernam, ut nullas Maiestati V.rae sine eius ipsius praesentia retinendi Regni rationes iniri posse intelligam. Pro certo quidem habeo Sacram Maiestatem V.ram a nobis profectam esse invitam, quo saluti posset prospicere sui istius aviti ac amplissimi Regni; a quo tamen cur tantisper abesse nequeat, dum hoc etiam suum suaequa fidei commissum isto non longe inferius sibi servare ac stabilire in posterum valeat non video. Quamobrem et si aliis meis litteris Maiestatem V.ram ad nos redeundum solicitarim, nunc eius redditum cum ad Comitiorum dies accelerandum omnino necessarium existimem, non potui pro meo munere deesse, quin aliquem ex nostra Nobilitate magni nominis virum, nostrarum rerum maxime experientem et studiosum, [65v] ac Maiestatis V.rae deditissimum et observantissimum praecipue deligerem, quem rogarem, hortarer ac demum urgerem, ut tot terrarum spatiis emensis in Galliam se conferat; et Reipublicae statum Maiestati V.rae sine fuco et sine fallacia ob oculos ponat; ingentium moneat periculorum, quae Maiestati V.rae, Regno et Religioni Catholicae impendunt; ac consilia tandem explicit, quibus mala, quae imminent, depellere, et Rempublicam iam collabentem sustinere et erigere Maiestas V.ra valeat.

Is est Magnificus Dominus Referendarius Cziarncovius¹⁶, qui licet ob praecipua quaedam sua negotia in Regno consistere omnino cogeretur, pro summa tamen sua erga Sacram Maiestatem V.ram observantia, cultu ac veneratione et Religionis et Maiestatis V.rae et Reipublicae bona suis (ut praestantem et optimum civem decet) commodis anteferens, lubentissime hoc onus suis humeris imponi passus est. Itineri igitur primo quoque tempore se accinget, et quam citissime poterit in Galliam contendet. Quod te, Christianissime Rex, per immensa illius beneficia, qui suo nos praeciosissimo sanguine redimere non deditus est, obsecro atque obtestor; ut magnarum virtutum Regum maiorum tuorum (qui acerrimi Christianae Religionis, ac suorum non modo, sed alienorum etiam populorum libertatis vindices, nomen Christianissimi suis posteris reliquerunt) memor et haeres, in eam curam incumbas; qua rebus Regni huius tui propemodum afflictis opem tempestive feras, teque nobis cum summa nominis tui gloria Regem conserves.

Tandum ad nos ad diem [66r] Comitiorum venias, brevi omnia certe ex animi tui sententia perficies; nec quidquam veterum ac sanctissimarum Reipublicae nostrae legum immutare cogeris; quin eam omnino Reipublicae formam nobis constitues; qua ex omnium ordinum Regni consensu et praesens et absens Rex noster perpetuo futurus, Regem nobis, quem malueris, tui successorem dabis. Cogniti mihi et perspecti sunt mores nostrorum; quamprimum Regium magnanimi Henrici vultum aspexerint, omnes nutui et voluntati Maiestatis Tuae se accommodabunt. Nihil profecto tam arduum est, quod ista animi tui praestantia ac magnitudine non sis effecturus. Sed haec plenius et uberius ex ipso Magnifico Domino Referendario cognosces, cuius fidei et probitati maxima quaeque negotia tuto concredere Sacra Maiestas V.ra poterit. Reliquum est, ut meam debitum obsequiis ac obedientia plenam servitutem Maiestati V.rae humilissime commendem. Datum etc.

A. 6.

Mehmet Bassa
Nicolao Mielecki, palatino Podoliae

Constantinopoli, 13 III 1575.

Certiorem eum reddit Constantinopolim venisse oratorem Polonum Andrewm Taranowski, qui imprimis dolorem suum et summam tristitiam declaravit propter mortem sultani Turcarum (Selimi II). Probat et confirmat propositiones pacis ab oratore allatas. Explicat causas turbarum et tumul-

¹⁶ Stanislaus Sandivogius Czarnkowski; cfr. N. 273.

tuum in Czapczak (Čapčak) in Podolia exortorum, qui a facinorosis et latrunculis natione Ruthenis imprimis concitati sunt.

Cop.: AV, Nunz.Pol. 8 f. 72r-v (manu Iosephi Monachi secretarii nuntii exarata et procul dubio litteris eiusdem nuntii adiuncta).
- Ed.: Theiner AE, t. II, p. 92-93.

Ill.me Gloriosissimeque Magnanimorum Iesum Comitantium Princeps¹⁷ et singularis Christianae plebis moderator, ad quem omnes supplices confluunt incrementum actionum tuarum omnium beatissimum, exitusque felicissimos mutuaque et perpetua familiaritate et sanctissimo foedere digna vota laudesque ardentissimas offerentes hisceque praemissa et finita absolventes.

Significamus amicissime, quod venit ad Portam excelsam Caesaris nostri potentissimi Zultan Zelim¹⁸, nuper divinitus ex hoc mundo evocati, vir Ill.mus et Magnificus Andreas Tharanowski¹⁹, qui ideo tantum morae apud nos fecit, quoniam cum Caesar potentissimus post mortem patris sui Zultan Zelim divinitus nobis datus fuisse, liberamque facultatem discedendi legato vestro dedisset. Legatus libello supplici nomine vestro Caesarem potentissimum salutavit, quo petivit, ut articulos pacis antiquae renovare et confirmare dignaretur. Quem libellum supplicem ego Caesari potentissimo, Domino nostro Clementissimo, exhibui exposuique. Ad quam supplicationem vestram Caesar potentissimus pacem a Caesare piae memoriae confirmatam in litteris suis notavit, quam nos firmam semper esse cupimus; si vos violatores non existeritis [sic] animumque servandi habueritis. Sed cum Legatum hunc non ad praesentem, sed mortuum Caesarem fuisse missum, vos quoque Regem non habeatis, re ipsa vobis constet, si ex benevolis et amicis potentissimi aut vero ex vobis ipsis aut Regem Suecorum ad dignitatem Regiam elegeritis, tandem articulos a Caesare mortuo piae memoriae datos Caesar potentissimus confirmabit. Caeterum considerate, quod si ex benevolis et amicis Caesaris potentissimi Regem vobis acceperitis, cum articuli pacis manebunt, tum vero Respublica ex parte utraque in tranquillitate erit. Quod autem ad Czapczakleyum²⁰ attinet, notum omnibus est locum illum latronibus praedonibusque Russiae, ex quibuslibet facinorosis esse obvium

¹⁷ Nicolaus Mielecki fuit principalis auctor instructionis oratori Andreae Taranowski apparatae, ex Comitiis convocationis Varsaviensibus IX 1574 in Turciam misso. De propositis Nicolai Mielecki potiundi Regni Poloniae per intercessionem et interventum Turcarum nuntius Vincentius Lauro saepius Sedem Apostolicam reddebat certiorem (vide Halina Kowalska, PSB, t. XX, p. 760).

¹⁸ Selimus II, (1566-12 XII 1574), imperator (sultanus) Turcarum.

¹⁹ Andreas Taranowski.

²⁰ Čapčak (Czapczak), locus in Podolia.

et quasi latebras et quicquid patratum istinc fuerit, id totum transfertur ad Polonus omnisque querela fit de Polonis.

Quod cum Caesarea Celsitudo intellexisset, mandavit arcem illic aedificari, ne latronibus illis locus sit, resque in pace manere possit; ex arce autem nihil incommodi Polonia habitura est, quinimo infinitas habebit [72v] utilitates. Nihil igitur est, quod de ea cogitent; solum aequi et constantes estote, ex amicisque et benevolis Caesareae Celsitudinis aut aliquem vestrum regimini Regni praeficie. Cavete autem, ne ex adversariis Caesaris potentissimi, qui ab initio contrariantur eligatis. Nam (quod procul sit) si contra voluntatem Caesareae Celsitudinis Regem elegeritis, scitis finis quo tendat. Nostra summa cura est, ut Respublica in tranquillitate manens preces ardentissimas pro Caesaris potentissimi incolumentate diurna fundat. Datoe Constantinopoli, die prima Aprilis secundum lunae cursum, iuxta diem vero numerum die 13 Martii anno Mahumethi 982, Christi 1575.

A. 7.

**Albertus Łaski, palatinus Siradiensis
Maximiliano II imperatori**

[Skieriewice, 12 III 1575.]

Benevolentiae imperatoris commendat personam consanguinei sui, comitis Ioannis Rozdrażewski, qui specialem missionem perfecerat ad candidataram imperatoris ad Regnum Poloniae in futura electione obtainendum pertinentem.

Decifr.: AV, Nunz.Pol. 8 f. 82r (adiunctum litteris N. 261).

Lettera del Laschi al'Imperatore

Quae Comes Iohannes a Rosbrasof²¹, nepos meus, de negotiis Maiestatis V.rae hic mecum accurate et diligenter contulit, ea animo meo ita tenaciter haerent, ut nullam Maiestati V.rae honeste inserviendi occasionem sim praetermissurus. Quamobrem si Ser.mus Rex meus, cui quam debeo fidem ac obedientiam servare vehementer cupio, Regnum hoc ob suam absentiam retinere ac tueri nullo pacto poterit, et necessitas Reipublicae postulabit, ut alius eligatur, omnem ego operam ac laborem impendam, quo Maiestas V.ra

²¹ Comes Ioannes Rozdrażewski.

meam summam erga se observantiam habeat cognitam atque perspectam idque se observantiam habeat cognitam atque perspectam idque ex ipso Comite Iohanne tuto uberius audiet Maiestas V.ra, cui a Deo immortali felicissimos praeter rerum omnium successus, et studia, servitiaque mea humilime commendo.

A. 8.

Maximilianus II imperator

Alberto Łaski

Pragae, 28 III 1575.

Confirmat nepotem eius, comitem Ioannem Rozdrażewski, ablegatum eius, ad se advenisse et litteras eius, quas secum portaret, sibi reddidisse. Gratum animum suum et laetitiam exprimit etiam propter propensam voluntatem ipsius erga filium suum, archiducem Ernestum, quem regem Poloniae fieri cupit. Nuntiat insuper se "agenti" suo in Polonia (Andreae Dudith seu Dudycz) mandavisse, ut aliquam pecuniae summam ei traderet.

Cop.: AV, Nunz.Pol. 8 f. 125r-v (adiuncta litteris Vincentii Lauro ad card. Gallio die 26 IV datis; cfr N. 269 cum titolo: "Copia dela lettera del'Imperatore al Laschi").

Spectabilis et Magnifice, Fidelis Dilecte.

Reddedit noobis nepos tuus spectabilis et Magnificus, fidelis nobis dilectus Iohannes Comes a Rorsbrasof, litteras tuas die duodecima praesentis mensis datas²², ac quae per eundem nobis referre voluisti, diligenter exposuit, ex quibus nec non Sanctissimi Domini Summi Pontificis in Regno isto Nuntii litteris, cognovimus, quae tuae in nos fidei ac observantiae constanta sit et ad iuvandam, in eum eventum, quo illius Reipublicae necessitas alium Regem eligi postulet, nostram, ac filii nostri carissimi, Serenissimi Archiducis Hernesti²³ causam, propensa voluntas. Et si vero de te aliud non expectavimus, pergrata tamen nobis fuit tam luculenta tui istius studii testificatio.

Neque dubitamus, quin, quae tua est integritas, in eadem deinceps etiam voluntate firmiter sis perstiturus, ac in eum, quem dicis eventum, ne-

²² Iohannes Rozdrażewski; cfr. A. 7.

²³ Ernestus archidux Austriae.

que enim ipsi aliter praedicti filii nostri rationem haberi cupimus, quam si ob Regis absentiam, Regni ordines ad novam electionem sibi transeundum esse statuant, nihil praeteriturus sis, quod ad memoratam nostram, ac eiusdem filii nostri carissimi ad optatum et salutarem [125v] effectum deducendam, opportunum fuerit, qua in re cum patriae suae, Reipublicae Christianae, cuius merito bonis omnibus prima ratio habenda est, optime consules, tum de nobis istud recto tibi polliceri poteris, nos cum eodem filio nostro haud commissuros esse, ut tua tuorumque commoda honorem et dignitatem ullo loco vel occasione neglexisse, sicque iustum aliquam de navata nobis opera, atque studio paenitendi causam tibi reliquise videamur. Quod vero ad alia nonnulla attinet, de quibus tanquam ad negotium istud in primis oportunis atque necessariis, praedictus Comes nobiscum egit, eidem mentem nostram aperuimus. Internuntio autem nostro Duditio²⁴ iussimus, ut tibi denuo aliquam pecuniarum summam nostro nomine subministraret, ut ex ipso Comite intelliges, ad quem in reliquis nos remittentes, tibi Caesaream, ac Regiam nostram gratiam et benevolentiam propenso animo deferrimus. Datae in Arce nostra Regia Pragae, die vigesima octava Martii 1575.

Maximilianus etc.

A. 9.

**Stephanus Báthory, palatinus Transilvaniae
Gregorio XIII, pontifici maximo**

Albae Iuliae, 28 III 1575.

Sensa fidei, devotionis et filialis observantiae erga sumnum pontificem declarat et sincerum in Ecclesiam Catholicam animum exprimit. Ioannem Marocio (Ordinis s. Francisci sodalem et archidiaconum) papae commendat et rogat, ut eum ad dignitatem episcopalem promoveat.

Or.: AV, Nunz.Pol. 8 f. 85r-v (litteris Vincentii Lauro ad Gallium 26 IV 1575 datis insertum, vide N. 269).

Stephanus Báthory, Dei gratia Regni Transilvaniae Vaivoda, et Siculo-rum Comes etc. Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Gregorio XIII, divina providentia Sacrosanctae Romanae et universalis Ecclesiae

²⁴ Andreas Dudith (Dudycez).

summo pontifici. Post oscula pedum, servitiorum filialisque observantiae humilem commendationem²⁵.

Beatissime in Christo Pater et Domine nobis colendissime. Saepius ante cum litteris, tum nuntiis nostris, de animo sincero nostro, quo erga catholicam, atque adeo Romanam Ecclesiam ducimur, testati sumus, quem quidem etiam re ipsa, quantum temporis ratio huiusque Regni nostri status patitur, aliqua ex parte declaravimus, indiesque declarasse conabimur, modo is ope et benigna voluntate Sanctitatis Vestrae adiuvetur. Ad promovendam et restituendam veram religionem, illud in primis necessarium esse existimamus, ut videlicet aliquis Suffraganeus, aetate gravis, moribus et doctrina probatus, auctoritate Beatitudinis V.rae in hoc Regno constituatur. Cum enim superiorum temporum iniuria, sacerdotes passim diffugerint, nec facile a longinquis regionibus, ubi sedes iam fixerunt, avelli se patientur, fit, ut summa ministrorum penuria premamur. Atque etiamsi non desint, qui sint parati sacros ordines suspicere; nemo tamen hic habetur, a quo promoveantur.

Nos autem ad Suffraganei munus, magis idoneum aut sufficientem in hoc Regno honorabili viro, Ioanne Marocio, Archidiacono Comitatus Crasnensis²⁶, non reperimus, ac proinde eum tanquam dignam personam nominavimus. Restat iam, ut illam dignitatem Beatitudinis V.rae voluntate, concessa diplomate consequatur, polliciti equidem ei sumus prolixe; de Sanctitatis V.rae clementia, [85v] modo eam dignitatem assumat. Quamobrem Sanctitatem V.ram devote obnixeque rogamus, dignetur huic Ioanni Marocio, candidato nostro, ea de re diploma seu bullam mittere, attributo ei aliquo titulo muneris honestandi causa. Haec benignitas Sanctitatis V.rae, et renasciturae Ecclesiae vehementer profuerit, et nos ad promovendam religionem etiam atque etiam accendet. Quod reliquum est, sacros pedes Sanctitatis V.rae deosculati, humiliter nos Sanctitati V.rae commendamus, quam longo etiam tempore orbi christiano superesse ex animo cupimus. Datum Albae Iuliae XXVIII Martii MDLXXV.

Eiusdem Beatitudinis V.rae

devotus servitor et filius
Stephanus Bathory
Vaivoda Transilvaniae subscripsit

²⁵ Cfr. ANP IX/1, A. 23.

²⁶ Persona alias ignota; dioecesis Alben sive Transilvan (Erdely) post 3 VIII 1554 vacabat propter Turcicam occupationem (vide: HC, III, p. 101).

A. 10.

**Imperator Turcarum
Senatui Regni Poloniae**

Constantinopoli, 1 IV 1575.

Testificatur et confirmat intercessionem oratoris Poloni Andreeae Taranowski in tumultibus in loco Czapczak (Čapčák) in Podolia excitatis. Mentionem facit missionis in Poloniam legati Turcici (Mehmet Bassae). Extollit consilia pacifica erga Principatus Transilvaniae et Moldaviae. Commemorat amicitiam suam, qua prosequitur regem Suetiae et eius uxorem, necnon principem Transilvaniae (Stephanum Báthory).

Cop.: AV, Nunz.Pol. 8 f. 101r-v (confecta in cancellaria Vincentii Lauro et una cum eius litteris ad Gallium 29 III 1575 datis missa, cfr. N. 272). In f. 107v adnotatio: "Exemplum litterarum Imperatoris Turcarum ad Ordines Regni Poloniae 75 prima Aprilis".

- Ed.: Theiner AE II, p. 93.

Illustrissimi Generosissimique Magnanimorum Iesum comitantium proceres et singulares christianaे plebis Inclyti Regni Poloniae, Lithuaniaeque Principes, salutem et benevolentiam singularem.

Tempore nostri potentissimi et clementissimi patris, qui ex voluntate Magni Dei suum diem obiit, legatus vester Andreas Taranowski²⁷, vir generosus, venit, et quum vellet ad vos redire supplicem exhibuit nobis libellum, ut a patre nostro pactum foedus, et eius articulos confirmare renovareque dignaremur; et arcem Czapczatheiā²⁸ nominatam, non aedificare, sed omitti potius curaremus. Qualem temporibus praeteritis praedecessores nostri nempe caesarea ex prosapia Caesaris exeentes, quam et quantam benevolentiam, singularem amorem, vicinitatem pacificam et clementiam optatissimam in Regnum et vestram nationem declararunt, vos optimi estis testes; et quam foederatissime pacificeque usque ad tempus patris nostri clementissimi vixere. Quae pacem et foedus, eiusque articulos praedictus noster parens renovaverat et confirmaverat et litteras ad confirmationem harum scriptas per Achmed²⁹ charissimum ad vos miserat.

Tantummodo in finibus et terminis Regni vestri existentes domini et officiales, nostro Imperio Transilvaniae, Moldaviae, Transalpinaeque non no-

²⁷ Cfr. A. 6.

²⁸ Czapczak (Czapczakleyum), locus nominatus in A. 6 (in nota 23).

²⁹ Mehmet Bassa; cfr. A. 6.

ceant, et contra pacem nihil committant; vos et Regnum vestrum nihil damni est habiturum, nostras benevolas litteras ad huius testimonium dedimus. Regnum Imperiumque vestrum recto regimine et pacifice quemadodum antea, sic et nunc regite et gubernate. Curam adhibete summam, ut omnia pacifice concorditerque gerantur apud vos, ad electionem Regiae Maiestatis V.rae usque tantummodo (ut diximus) nostro Imperio, Transilvaniae, Moldaviae, Transalpinaeque et horum Regnorum Wojewodiis, provinciis et incolis non noceatis. Nos antiquum foedus et pacem non solvemus.

Hoc tamen videtote, ut cum nostris hostibus et inimicis naturalibus nihil commertii et amicitiae habeatis, si vultis nobiscum in antiquo foedere et mutua pace manere; ex nostris inimicis et hostibus neminem in Regiam dignitatem evehatis. Nostri amici Regis Ser.mi Vestri soror est coniunx Ser.mi Regis Suecorum³⁰; aut hunc igitur Suecorum prudentissimum aut ex vobis aliquem Regni dignitate dignum aut Woivodam Transilvaniae Stephanum Bathori de Hovolio Regiam in dignitatem evehite. Istos etenim vicinitate et familiaritate nostra dignos [101v] arbitramur, sic vigilate, videtoteque, ut in litteris nostris continentiae non negligantur. Datum Constantinopoli, anno Machumedi 982, 1 Aprilis, Christi autem 1575.

A. 11.

**Henricus rex Poloniae et Galliae
Senatui Regni Poloniae**

Lutetiae Parisiorum, 16 IV 1575.

Confirmat et attestatur missionem in Poloniam oratorum eius marescalci Rogeri de Bellegarde et Guidonis de Pibrac. Eos in Poloniam adventuros esse nuntiat ante Conventum Stęžycensem 12 V celebrandum.

Cop.: AV, Nunz.Pol. 8 f. 131 (litteris Vincentii Lauro ad card. Gallio die 18 IV 1575 datis adiuncta; cfr N. 283).

Rev.mi, Reverendi, Ill.mi, Illustris, Magnifici, Generosi ac Spectabiles sincere nobis dilecti.

Sicut antea polliciti eramus, dimisimus iam ad vos fideles nobis Illuminatum Bellegardium³¹, unum ex torquatis equitibus nostris, Consiliarium in

³⁰ Ioannes III Vasa et Catharina Jagellonica, soror Sigismundi Augusti.

³¹ Marescalcus de Bellegarde.

secretiori nostro consilio, nec non Marschalcum Regni huius Galliarum, et Pibracum³², etiam Consiliarium nostrum in eodem secretiori consilio, quibus mandavimus, ut vobiscum nomine nostro de iis rebus agant, quae ad redditum nostrum ad vos pertinent; curent, etiam consilio vestro intercedente, stipendia tam aulicis, quam militibus nostris exolvi, pecunia, quam iis perferrendam dedimus, et alia perficiant, quae illis in mandatis ulterius dedimus, sicut propediem vobis apparebit. Sed quia ut res humanae sunt incertae, et variis casibus obnoxiae, fieri fortasse posset (quod tamen absit), ut aliquantulum tardius quam 12 Maji ad vos pervenirent. Non putavimus omitterendum, quin has ad vos litteras praemittamus, quibus de eorum profectione et discessione vos certiores faceremus. Petentes a vobis, ut si fortasse ad eam diem non advenient, pacatis animis eos per breve tempus expectetis; nec quicquam tantisper temporis praeter autoritatem et dignitatem nostram statuatis. Insuper quicquid erit, quod nomine nostro Ill.mus hic Faius Despeseus³³, Consiliarius noster, vobis dicet, ei fidem adhibeatis. Bene valete. Datum Lutetiae XVI Aprilis MDLXXV.

Henricus Rex etc.

A. 12.

**Franciscus Sunyer, praepositus provincialis Societatis Iesu
Georgio Radziwill, coadiutori Vilnensi**

Cameniae, 28 IV 1575.

Nuntiat se pridie huius diei a nuntio Vincentio Lauro breve pontificium accepisse de negotio coadiutoriae Vilnensis tractans.

Cop.: Roma, ARSI, Epistolae Externorum 13 f. 66v-67r (ad generalem Societatis missa sub titulo: "Exemplum litterarum Domini Georgii Radzivilli Coadiutoris Vilnensis"; cfr. N. 293).

Rev.dissime Pater, Domine Amice observandissime.

Heri quam primum curru descendissem, redditae mihi sunt a Rev.mo Domino Nuncio Apostolico litterae³⁴: una cum Summi Pontificis ad me brevi,

32 Guido du Faur de Pibrac.

33 Iacobus d'Espeisses.

34 Cfr. N. 286.

quod descriptum credo Illustrissimum Dominum fratrem meum p.t. [Paternitati Tuae] misisse³⁵.

Sit omnipotens Dominus benedictus, ego sicuti antea feci: ita et nunc maiori studio et diligentia conabor, ut et Summi Pontificis et omnium hominum, praesertim vero Reverendissimarum Paternitatum Vestrarum (quibus me et nunc et in posterum hoc in negotio plurimum debere, et obligatissimum esse sentio) ac me conceptae spei satisfaciam plura me scribere tum per tabellarii discessus, tum quaedam Domini fratris mei negotia, quibus paululum occupatus sum, non sinunt, aequiori tempore nunc a me neglegatum sum recompensaturus.

Decebat equidem, ut primae hae meae ad p.t. [Paternitatem Tuam] litterae excultiiores paulo et copiosiores [67r] fuissent, sed ut dixi p.t. [Paternitati Tuae], id tempori ascribere dignabitur et me, ut coepit, amore prosequatur, cuius amicitia numquam, Deo iuvante, falletur, manente in perpetuum summa mea erga ipsam observantia. Datae in pago Cameniae 28 Aprilis 1575.

A. 13.

Status et ordines Prussiae Senatui et ordini equestri Stęžyciae congregatis

Marienburgi, 28 IV 1575.

Cogitatam absentiam suam in proxime futuro Conventu Stęžycensi explanant et iustificant. Affirmant eam profecturam esse ex ratione et modo se gerendi nobilitatis palatinatus in Comitiis convocationis Varsaviensibus (mense Septembri a. 1574 celebratis). Revocant in memoriam missionem oratorum Polonorum (comitis Hieronymi Rozdrażewski) et (Ioannis Thomae Drohojowski) in Galliam missorum. Significant nomina suorum ablegatorum (Ioannis Dulski et Christophori Kostka). Animadvertisunt Henricum Valesium legitimum regem Poloniae esse. Conventum Stęžycensem congregacionem fore legitimo charactere carentem. Dubia movent circa praesentiam in Conventu Stęžycensi signiferi Culmensis Ioannis cum fratre ipsius Simeone.

Cop.: AV, Nunz.Pol. 8 f. 146r-148r. In f. 149v annotatio manu Iosephi Monachi secretarii Nuntii: "Exemplum litterarum Ordinum Prussiae ad Senatum et Ordines equestres Stenize congregatum" (confecta in cancellaria Vincentii Lauro et una cum eius litteris ad card. Gallio 29 IV 1575 datis missa, cfr. N. 288).

³⁵ Cfr. A. 2.

Rev.mi, Illustrissimi, Magnifici, Generosi ac Nobiles Domini Domini, fratres et amici gratiosissimi et gratiosi, Rev.mis, Illustrissimis, Magnificis ac Generosis Dominationibus Vestris paratissima studia, officia atque obsequia nostra deferimus, eisdem a Deo Immortali laeta, fausta ac foelicia omnia, cum rerum omnium saluberrimo incremento ex animo precantes.

Gratiosissimi ac gratiosi Domini, fratres et amici observandissimi. Quamvis nihil magis in votis habuimus, quam ut post tam subitum atque inopinatum Ser.mae Regiae Maiestatis Domini Nostri clementissimi ex hoc Regno discessum, omnia, quae ineunda et suscipienda communis Reipublicae nomine consilia pertinere videbantur, suo ordine atque modo ad communem utilitatem, foelicitatem atque concordiam retinendam, instituta atque composita fuissent. Magno tamen cum animi nostri dolore comperimus, Conventum illum Varsoviensem mense Septembris proxime³⁶ praeterito ad ineunda consilia de Rege revocando et in hoc Regnum reducendo non tantum in nostrum, sed multo magis libertatum nostrarum praeiudicium nobis ad eundem non legitime per Regni Primate, sed ex conventione particulari Palatinatus Cracoviensis contra hactenus receptum morem atque observationem consuetudinem vocatis indictum fuisse. Cuius rei magna cum iniuria nostra coniunctae nullam aliam causam fuisse iudicare possumus, quam quod hactenus saepissime quamvis frustra (proh dolor) questi sumus eo loco a Rev.mis, Illustrissimis, Magnificis ac Generosis Dominationibus V.ris haberi nos, ut nostrae fidei meritorum, libertatum ac privilegiorum prorsus immemores atque obliti, non dignos nos amplius iudicent, qui communibus consiliis ad Rempublicam pertinentibus tamquam Consiliarii huius provinciae Prussiae interesse mereamur.

Cum autem homines simus liberi, nemini in servitutem addicti, nostris peculiaribus iuribus, libertatibus atque privilegiis gaudentes neque illis in minimo praeiudicium aliquod afferri vel a quoquam creari volentes, dolorem illum aequis animis sustinuimus; neque ad conventionem illam praeter morem et receptam consuetudinem institutam atque indictam profecti sumus; sed quae esset animi nostri sententia per litteras satis superque declaravimus, et quin eandem nunc etiam uberius declaremus et omnibus testatam faciamus, intermittere nulla ratione possumus. Rem [146v] enim admodum indignam iudicamus in Republica libera, in qua aequalis omnium tamquam membrorum unius corporis debebat esse conditio.

Nos quamvis parum fortassis aestimata nobis postrema tamen Reipublicae membra ita negligi atque contemni ut res omnium gravissimae, in quibus non tantum bonorum atque facultatum, sed libertatum nostrarum atque omnis salutis retinendi nimirum vel repudiandi Principis atque capitis totius Reipublicae ratio consistit, sine scitu, consilio atque consensu nostro suspiciant. Quamvis hoc novum non esse praeteriti temporis facta palam

³⁶ Cfr. ANP IX/1, A. 24.

testantur. Confectis enim nuper electionis solemibus, cum legati ex praeci-
puis Provinciis ad Ser.mam Maiestatem Regiam e Gallia in hoc Regnum ac-
cessendam deputati³⁷. Et ex nostris quoque Magnificus Dominus Ioannes
Dulscius, Culmensis Castellanus³⁸, collega noster exoptatissimus, cum Ge-
neroso Christophoro Kostka, Capitaneo Golubensi³⁹, ad obeundum cum cae-
teris eius legationis munus destinati ac nominati fuissent; postea tamen
nescimus quo consilio, repudiati et nomen illorum plane expunctum fuit,
quasi non fuissent, vel nos potius non fuissemus digni habiti, quibus eius le-
gationis munus cum caeteris committeretur, quasi reliquis in servitutem
iam traditi ex ipsorum nutu et consiliis vivere cogeremur, neque eisdem ullo
amplius vel loco interesse deberemus.

Qua de re tanquam insigni iniuria et aliis etiam gravaminibus ferme
innumeris quamvis saepius conquesti fuerimus, neque tamen illorum ullam
aequam vel iustum rationem haberí, sed malo malum addi atque cumulari
etiam in conventione illa praeter scitum et assensum nostrum indicenda
animadvertisimus. Solemniter coram Deo Rev.mis, Illustrissimis, Magnificis
ac Generosissimis Dominationibus V.ris atque adeo omnibus hominibus
protestamur.

Nos si aliquod forte ex iis, quae conventionem illam Varsoviensem sub-
sequuta sunt, inconveniens incommode vel detrimentum emergere con-
tigerit, quemadmodum illam consensu nostro non approbavimus, ita etiam
culpa vacare, et ab iis omnibus et singulis immunes esse velle; expedentes
seorsim, quod nobis pro fide et constantia nostra non sit integrum, Regem
legitime electum, per legatos vocatum, [147r] Regni diadematè solempniter
insignitum, quique quamvis ad acceptandum avitum ac patrium Regnum
non levibus de causis a nobis profectus sit, redire tamen ad nos, nobisque
imperare ac propositis conditionibus quodammodo satisfacere constituerit
(uti non ex unis, sed pluribus litteris atque ad nos missis legatis cognovi-
mus) indicta causa reicere, et propterea quod in termino sibi in illa conven-
tione Varsoviensi, non legitime tamen indicta, praefixo comparere non pos-
sit, Regno privare.

Ex iisque et aliis quamplurimis causis et rationibus ad retinendam non
tantum libertatem nostram, sed totius etiam Regni felicitatem augendam
pertinentibus. Nos nunc quoque Comitiis Stęzicensibus, quae ex illegitima
Varsoviensi Convocatione enata sunt, interesse nulla ratione possumus, ma-
iorem in modum et obnoxie rogantes, dignentur Rev.mae, Illustrissimae, Ma-
gnificae ac Generosae Dominationes V.rae omnes circumstantias ad eam
causam spectantes maturo consilio probe expendere; et ita huic rei provi-
dere; ne novi Regis immatura electione, ad quam plerasque animum adiice-

³⁷ Hieronymus Rozdrażewski et Ioannes Thomas Drohojowski ex Regno Poloniae et Melchior Giedroyć ac Venceslaus Agryppa ex Magno Ducatu Lithuaniae.

³⁸ Ioannes Dulski (†1590), castellanus Culmensis.

³⁹ Christophorus Kostka, capitaneus Golubensis.

re intelligimus, aliquod malum minus speratum vel extremam cladem sibi accersitam, et nos atque adeo totum Regnum pessundent. Et in eum labirynthum praecipitent, ex quo difficilis vel nulla prorsus sit emergendi et se se expediendi ratio.

Non ita, Rev.mi, Illustrissimi, Magnifici ac Generosi Domini fratres et amici honorandi, pro tenui nostro iudicio agendum est cum Principibus, imo ne cum vilioris conditionis hominibus neque ipsis Paganis quidem, ut si ad praefixum aliquem terminum certis et legitimis de causis adesse non possint, causa propterea cadere, nedum Regno exui debeant, sine ulla exaudito illorum legali impedimento termini prorogatione. Cum itaque aliquis ex numero Principum extraneorum, sed Rex et Dominus Noster termini prorogationem ob maximas atque praegnantes causas per legatos quoque suos in medium uberioris proponendas postulet, ea ne ei deneganda erit? Minime gentium. Quod enim cuivis alii etiam privatae conditionis homini negari nequaquam potest, id ut Regi et Princi nostro concedamus, an non fides et observantia nostra exigere videntur?

Quaecumque iterum atque iterum petimus et ob communem foelicitatem rogamus, dignentur Rev.mae, Illustrissimae, Magnificae ac Generosae Dominationes V.rae et sui et nostri simul condignam rationem [147v] habere, atque eam deliberationem suspicere, qua efficiatur, ut si id rei necessitas exiget, et nos et reliqui omnes, quorum interest, legitime atque suo ordine et modo vocati communicatis consiliis invocato Dei nomine id agere atque constituere possimus, quod Reipublicae nostrorum praesertim privilegiorum ac libertatum ratione maxime expedire videbitur. Nihil dubitantes, quin Rev.mae, Illustrissimae, Magnificae ac Generosae Dominationes V.rae hoc aequissimis precibus et adductis rationibus nostris haud gravate daturae sint. Quas Domino Deo salvas et incolumes ad foeliciter explicandas gravissimorum consiliorum rationes ex animo commendamus.

Graviter etiam nobis in hac conventione congregatis conquesti sunt Generosi Ioannes Ostremieczki, Vexillifer terrae Culmensis⁴⁰, cum fratre Symone et relicta nuper demortui fratris Iacobi Ostremieczkii vidua, de vi et iniuria maxima sibi per Magnificum Dominum Ioannem Coscielecki, Castellum Bieczensem et Capitaneum Bidgostiensem⁴¹, illata; quod ex quadam insula, quam non tantum ipsi, sed maiores quoque ipsorum pacifice possederunt ad ripam Istulae fluminis intra fines terrarum Prussiae triginta octo equos manu armata nulla legitima de causa abegerit. Currum etiam cum quatuor bobus in ipso oppido Bidgostiensi interceperit, et quod omnium est gravissimum, trecentis circiter armatis stipatus ipsorum aedes violenter ex improviso Istulam flumen⁴², quod limites inter terram Culensem et Poniam Maiorem constituit, transgressus invaserit.

⁴⁰ Ioannes Ostromiecki.

⁴¹ Ioannes Kościelecki, castellanus Bieczensis.

⁴² Vistula flumen (Wisła).

Cum vero tale quidpiam a Regni Senatore in absentia Maiestatis Regiae admitti iniquum admodum iudicemus, rogamus Rev.mas, Illustrissimas, Magnificas et Generosas Dominationes V.ras, dignentur cum eodem Magnifico Domino Castellano agere, ut ablatis ante omnia secundum praescriptum iuris restitutis, sibi ab invasione eiusmodi et ulteriori vi temperet et illud tempus patienter expectet, quo respective Principem recipiat, qui de omnibus eiuscmodi controversiis cognoscere, easdemque per commissarios suos componere ac complanare possit. Neque dubitamus, quin Rev.mae, Illustrissimae, Magnificae et Generosae Dominationes V.rae pro sua aequanimitate et amore erga communem tranquillitatem in nostram gratiam id quoque non gravatim praestiture sint.

Non minus etiam petimus, velint Rev.mae, Illustrissimae, Magnificae et Generosae Dominationes V.rae Livoniae, quae incursionibus [148r] Moschi quotidie fere divexatur, et eius crudelitatem atque immanem Tyrannidem cum extrema internecione et exitio suo experiri cogitur, benignam rationem habere atque gratiore efficere, ut ex ea pecunia, quam Maiestatem Regiam per suos legatos transmittere non obscurus rumor est, eius loci militibus stipendia debita exolvantur. Quod nos paratissimorum nostrorum obsequiorum studium erga Rev.mas, Illustrissimas, Magnificas et Generosas Dominationes V.ras demereri quovis tempore conabimur. Quas Domino Deo iterum atque iterum bene sanas et omnibus foelicitatibus perfruentes ex animo commendamus. Datum Marienburgii in Conventione Ordinum Terrarum Prussiae Generali. Die vigesima octava mensis Aprilis Anno Domini 1575.

Addictissimi et observantissimi

Status et ordines Terrarum Prussiae

A. 14.

**Vido (Guido) Fabricius de Pibrac
Senatui Regni Poloniae**

Soloturni, 9 V 1575.

Nuntiat ex Gallia missos esse marescalcum Rogerum de Bellegarde et Guidonem (Vidonem) de Pibrac, qui per Germaniam iter faciat. Eundem in territorio Ducatus Virtembergensis a latronibus invasum et omnibus pecuniis ac rebus suis spoliatum esse.

Cop.: AV, Nunz.Pol. 8 f. 160r-161r (epistula confecta in cancellaria Vincentii Lauro et litteris ad card. Gallio 10 V 1574 datis adiuncta, cfr. N. 296).

Rev.mi, Rev.di, Ill.mi, Illustres, Magnifici, Generosi, Nobiles, Domini et Domini observantissimi, colendi et carissimi.

Cum propter permultas eas, quibus Rex noster optimus ac sapientissimus distinetur, occupationes ad vos hoc tempore (ut percupiebat) proficisci nulla ratione posset; ac tamen ne quid, quod ad Regni istius sibi carissimi ac commendatissimi salutem pertineret, praetermitteret, existimavit esse faciendum, ut Dominatio V.ra de sua sententia atque erga ipsas animo per suos legatos quamprimum certiores ficeret. Atque hanc quidem ob causam Legatio in Regnum Poloniae data est Ill.ri et Magnifico Domino Rogerio de Bellegarde, Marschalco Franciae, ac praeterea mihi⁴³. Ideo autem duobus, qui diversis itineribus isthuc proficiscerentur, eam rem commissam oportuit; ut (quemadmodum nihil est in rebus humanis, quod non diversis casibus obnoxium sit), si quid acciderit huiusmodi, quod nostrum alteri aliquam moram aut impedimentum inferret, alter utriusque vices gereret. Eaque re Dominum Marschalcum per Italiam, me vero, qua brevior esset via, hoc est recta per Germaniam Rex proficisci voluit. Ac mihi quidem etsi haec profectio non parum incommoditatis afferebat; tum quia ab iis, qui mihi iure naturae sunt coniunctissimi, non sine maximo animi mei dolore, me iterum divelli videbam tum ob infirmam, qua sum, valetudinem; tum vero propter quam plurimas difficultates ac pericula maxima; nihilominus tamen pro singulari mea erga Sacram Regiam Maiestatem fide atque erga universam Rempublicam vestram studio et observantia, ne nunc quidem in re tanta Regi nostro atque isti praestantissimae Reipublicae deesse potui.

Itaque Parisiis discessi, dedique me in viam die decima nona mensis Aprilis. Iamque attigeram Germaniam ditionemque eam, quae est Principis Virtembergici eram ingressus; cum eo casu sum perculsus, quem Dominatores V.rae (scio) gravissimum esse iudicabunt. Nam a magna latronum tam peditem quam in equis expeditorum manu interceptus sum⁴⁴. Li mihi et viaticum et equos, caeteraque, quae erant me penes omnia, eripuerunt; et id, quod maximum est, una cum comitatu meo sum redactus, ut de nostra omnium vita actum esse omnes [160v] existimarent.

⁴³ De causis itinerarii marescalci de Bellegarde per Venetas et Guidonis de Pibrac per Germaniam cfr. N. 304 et N. 305.

⁴⁴ De aggrressione in terris Ducatus Virtembergensis in Guidonem de Pibrac patrata et immensa pecuniae summa ei furto et rapina ablata mentionem fecit Vincentius Lauro in litteris suis hic N. 305 signatis. De eodem casu ita rettulit nuntius apostolicus in Gallia Antonius Maria Salvati in epistula ad card. Tholomaeum Gallio 20 V 1575 Lutetiae Parisiorum scripta: "[...] A Pibrac fu commando che seguitasse il suo viaggio in Polonia et fu ordinario che fusse provisto di 20 mila franchi. Giovangaleazzo Fregoso è partito di Corte, per Marsilia, dove il Re vuol che'gli habbia due galere, con pagarli il solito stipendio: Ma essendosi visto che con modi straordinarii è stato provisto di 7000 scudi, ci sono di quei che dubitano ch'egli non habbia antiposto qualche ghiribizzo intorno a gli affari di Genova. Di che però sino al presente non veggio che si possa parlare con molto fondamento"; vide: Hurtubise ANG XIII, t. 2, p. 230-231. Cfr. etiam N. 317, notam 1110.

Duo ex meis familiaribus, quorum unus erat ex honesta familia in Prussia vestra Polonica oriundus, ab illis me inspectante sunt interfecti. Caeteri omnes spoliati, quorum bona pars tanti sceleris atrocitate perterrita, per loca devia in Galliam est reversa⁴⁵ [sic]. Ipse in sylvas ac loca asperrima noctem integrum undique circumseptus bombardis, quae pectori cervicique meae semper imminebant, nescio quo gentium sum abductus, ac tandem non sine singulari (ut quidem agnosco) Dei beneficio, ac vicinorum populum diligentia ex hominum perditissimorum immanitate sum eruptus.

Hoc autem totum cuiusmodi fuerit, uberius cognoscetis ex iis litteris, quas in meae huius calamitatis fidem ac testimonium scripsit, qui in ea regione est pro Principe Virtembergico; quas litteras ad Dominationes V.ras una cum hisce meis misi. Atque hac quidem de re Dominationes V.ras quamprimum omnia festinatione commonefacientes esse duxi; ne haec mea mora ipsas aut suspensas haberet, aut id (quod minime velim) conturbaret. Cum enim iam respirarim, et qua celeritate maxime fieri potuit, iterum eas res, quae ad itineris commoditatem ac festinationem pertinent, compararim, in instituto itinere ita pergo, ut me Deo iuvante propediem isthuc affuturum putem. Quo simulac pervenero, quae mihi Rex verbis suis Dominationibus V.ris ut exponerem mandavit, ea esse cognoscetis, quae omnibus omnium ordinum hominibus abunde satisfaciant.

Nam ipsa re Dominationes Vrae perspicient nunc adesse tempus, quo Rex omnibus in rebus, quae pertinent ad statum Regni istius amplissimi ac praeciarissimi, suam fidem liberabit. Ac praeterea, quia pro nostro omnium in Maiestatem suam amore atque observantia illi quidem perspectissima Regnique salute ac securitate ipsius praesentia carere diutius nulla ratione potestis, quoad hanc rem attinet, eiusmodi ab ipsius Sacra Maiestate mandata ad Dominationes V.ras habeo, ut diem praefinitam ac peremptoriam, qua istuc adesse constituit, ex me sitis cognituri. Sed quando his de rebus brevi vobiscum praesens sum acturus, longiori oratione supersedebo. A Deo supplex peto, ut Dominationibus V.ris ita adsit ipsorumque consiliis ita [161r] praesit, ut quicquid ipsae agent, id sibi in infinita posteritate et honori et emolumento esse possit. Commendo me Dominationibus V.ris. Soluturno oppido Helvetiorum. Die nona Maii 1575.

V.rarum Dominationum

Obsequentissimus
Vidus Fabricius Pibracius

⁴⁵ Vide: *Fabricii Pibrachii vita*, op. cit., p. 44r-46r.

A. 15.

**Iacobus Faius d'Espeisses, nuntius regis Henrici Valesii
Senatui Regni Poloniae**

Stęzyciae, 24 V 1575.

Significat rationes regis Henrici, qui opinionem suam in litteris separatis exhibuerat. Asserit regem quidem Polonia discussisse, sed Regno Poloniae nullatenus renuntiasse. Propterea consilium eum Stęzyciae Regno spoliandi nil aliud esse nisi abusum et actionem illegitimam.

Cop.: AV, Nunz.Pol. 8 f. 184r-185r. In f. 187v inscriptio et adnotatio: "Quae Dominus Despessus orator disseruit omnibus Regni Poloniae Ordinibus pro conservatione Sacrae Regiae Maiestatis, die 24 Maii 1575"; (alia manu): "Ut oratores a Rege destinatos expectare velint, eosque audire, ut certius Regis voluntatem et consilia noscant" (litteris Vincentii Lauro ad card. Gallio die 28 V 1575 datis adjunctum, cfr. N. 307).

Petierat a vobis Regia Sacra Maiestas per litteras decima sexta Aprilis ad vos scriptas, Rev.mi, Rev.di, Ill.mi, Illustres, Magnifici, Generosi ac Speciales Domini⁴⁶: etsi fortasse ad duodecimam Maii Oratores sui non advenirent⁴⁷, vos per aliquod breve tempus eos expectaretis mihiique fidem adhiberetis.

Nunc cum uberius aliquid de eorum adventu sciām, non dubito id vobis in medium afferre, quod testimonium si non satis firmum iudicatis, en et vitam meam eius rei obsidem vobis propono.

Viciissim vero Dominationes Vras rogo, et per Deum Immortalem obtestor, perque eam fidem, qua Reges vestros semper coluistis, per vestram patriaeque vestrae et liberorum salutem, per honorem denique Regis vestri, et summam benevolentiam, qua vos complectitur.

Etsi res, de qua tractare vultis, tanti sit momenti, ut ea non patriae tantum vestrae, sed etiam totius Republicae Christianae salus et tranquillitas contineatur, si in omnibus causis etiam minimi momenti turpe sit, et ab omni aequitate alienum in absentem aliquem inaudita causa aliquid statuere, multominus in Regem, qui nisi a Deo solo iudicari non potest, in eum prae-assertim Regem, qui generis splendore, Regnorum amplitudine et opulentia, virtute bellica, rerum gestarum gloria et dotibus ingenii ac corporis nulli in toto orbe cedit; si ea res, quam peto, eiusmodi sit, ut ne barbaro quidem hosti, nedum Principi de vobis optime merito sine verecundia denegari possit.

⁴⁶ Litterae Henrici Valesii 16 IV 1575 datae asservatae non sunt.

⁴⁷ Scilicet marescalcus de Bellegarde et Guido du Faur de Pibrac.

Si ex eo, quod facturi nunc estis, existimatio vestra tam apud christianos, quam apud omnes alios pendeat. Si in omnibus consiliis ineundis mora mater deliberationis, praecipitatio vero iniquissima noverca existimanda sit. Si denique idem quod peto, imo multo magis praedecessores vestri Regibus suis, a quibus omnino neglectos se etiam iure queri poterant, detulerunt. Hoc non tam mihi quam Regi, non tam Regi quam vobis, non tam vobis quam toti christiano orbi tribuatis. Et per idoneum aliquod tempus arbitrio vestro statuendum legatos illos Regis nostri expectetis, et cum advenerint, ea benigne saltem audiatis, quae Rex per illos vobis exposita esse cupit.

[184v] Nos si expectetis, ista consequemini. Scietis primo et exploratum habebitis; verum ne sit, quod a quibusdam dicitur, et multos vestrum perturbat, a rege vestro Regnum omnino negligi; cognoscetis eos, qui certe affirmant Oratores nullos ad vos dimisso; probabitisque, num hoc amore patriae odiove erga Regem vel privata aliqua affectione faciant.

Si Regnum istud a Rege negligi animadvertis, et de alio forsan eligen- do cogitetis; habebitis qualemcumque excusationem apud Deum et mortales, quod rem ante hominum memoriam nunquam tentatam aggressi sitis; et quod vinculum a Deo ligatum dissolveritis. Denique causam, quae apud omnes homines alioqui mala invenietur, probabilem facietis.

Ista etsi maxima sunt, in expectatione brevissimi temporis et fortasse vix octo dierum sunt posita; videte, an plus damni ista expectatio vobis affere possit, quam commodi.

Cum enim oratores hic habebitis, vobis illi abunde exploratum dabunt, qua causa et necessitate impulsus Rex a Regno hoc discesserit; quid eum hucusque detinuerit; quibus consiliis, promissionibus, imo etiam insidiis aliquorum, quos sibi fidissimos putabat, factum sit, ne ad XII Maii huc adveniret; quo tempore redire constituerit; quantum vobis novo hoc Regno auctus prodesse; quantum undique securitatem afferre et possit et velit; quae pericula vobis immineant, si fortasse alium eligeretis. Et quia multi ex vobis queruntur de articulis quibusdam non confirmatis, exponent etiam, quo consilio id non fecerit; et quid re accurati perspecta facere constituerit; stipendia denique et aulicis et militibus persolvent. Eaque omnia authoribus vobis curabunt, quae perfectam huic Reipublicae quietem et tranquillitatem afferre possint.

Si ista pacatoria et ad honorem vestrum ac tranquillitatem accommodatoria consilia vobis magis placent quam nova aliqua, quae possent Rempublicam vestram in tranquillo portu collocatam in certas seditionum aut bellorum procellas eiicere. Si optimi, fortissimi potentissimique Principis divinitus vobis monstrati ac unanimiter electi, consecrati, coronati vos omnino non poenitet. Si tanti Regni Gallici accessionem, quae utilitati [185r] vestrae et securitati aliquid fortasse adiicere potest; Regi vestro de vobis bene merito non omnino invidetis, si quod Deus inscrutabili consilio fecit, ut ista duo potentissima Regna ad aeternam nominis sui gloriam unirentur, vos irritum

sententiis iuris facere non velitis. Si denique constantiae, quae summa et praecipua virtus viros ostendit, aliquam habeatis. An vobis expectatio brevis temporis longum aliquid videri debet, quo perturbationi Reipublicae redimere possitis? Cum praecipue nihil obstare queat, quominus interea temporis possitis de iis omnibus, quae ad Rempublicam vestram attinent, salvo iure Regis deliberare.

Sed forsitan vos retinet confoederatio Varsoviensis, quasi vero eam, cum ad Reipublicae vestrae commodum et favorem introducta sit, ad eius odium et damnum trahere debeat; ut ea tanquam importuno vinculo astricti, libertatem non haberetis, quod optimum et saluberrimum pro Republica vestra invenietis deliberandi ac statuendi.

Quid vero esset absurdius, si inter tantos tantumque vires in omnibus rebus libertas esset quam maxima, in eo vero servitus; quod cum de summa rerum ageretur, non liceret omnibus, quod optimum pro Reipublicae salute videretur, proponere metu confoederationis.

Cui etsi nihil aliud, hoc saltem obiici potest, quod neque Regiae Maiestati neque vestrum maiori parti placuit; et tamen negotia vestra ita perturbavit, ut cum in Gallia, qui rebellarent metu vestrae cum Rege coniunctionis ad pacem maxime proclives fuissent; ea intellecta statim pacis cogitationem omnem abiecissent; eaque ratione redditui Regis moram fecerunt; cum scirent illi, si ad XII Maii veniret, et de Regno Gallico sin minus de hoc periclitandum esse. Accedat quod Regia Maiestas promissionibus quorundam excita, qui se confoederationi neque consensisse neque consensuros esse dicebant, existimabat facile a se diem illam, cum praecipue nimis brevis esset, negligi posse.

Quis enim dubitare potest, quin ea dies ad redeundum non dicam brevis aut difficilis, sed omnino impossibilis esset? Significata est XX Ianuarii a Dominis legatis Polonicis, a Lithuaniae vero (quod etiam necesse fuit) XXI Februarii⁴⁸. Qui fieri poterat, ut intra duos menses Regia Sacra Maiestas coronari, Regnum pacate salvum conductum petere et huc [185v] potuisset redire; nisi forte quis voluisse, ut neglectis iis huc properando se et Regna sua in praesentissimum periculum obiecisset; sed hoc, nisi qui se omnino eius inimicum fatebitur, nemo suassisset.

Quis, igitur eum iure accusare potest, quod impossibili conditioni non paruerit, ad quod nemo neque humana, neque divina lege obligatur, multo minus hac confoederatione, quae si sit legitima ambigitur; et ut legitimam esse demus, tamen exemplo aliarum constitutionum eius sanctioni haec conditio tacite inesse intelligitur; ut qui per rerum naturam ei parere non potuerit, ab ea excusetur. Si enim ad id tempus vocabatur, ad quod venire per rerum naturam non poterat; nonne illum omnino deludebatis: "quod in viros iustissimos et Principum vestrorum observantissimos noluisse facere certo

⁴⁸ Sermo est de oratoribus Regni (Hieronymo Rozdrażewski ac Ioanne Thoma Drohojowski) et legatis Magni Ducatus Lithuaniae (Melchiore Giedroyć et Venceslao Agryppa) ab Henrico exceptis.

sibi pollicetur; nec eam diem ea mente sibi praefixisse, ut eum a veniendo absterreretis vel potius ut invitaretis; itaque si ex postfacto iudicaretis nimis esse brevem illam diem, facile sperabat vobis eam sponte vestra prorogatumiri. Quae res, an scilicet nimis brevis illa dies fuerit, cum in causae cognitione versetur; nonne omnino aequum est, antequam de hoc negotio aliquid statuatur, saltem Regis vestri legitimas excusationes per oratores suos audire, quorum cum non culpa, sed casu factum esse videatur, ne ad XII Maii hic adfuerint, non dubito; quin pro innata vobis aequitate eos sitis expectaturi, idque Regi vestro de vobis benemerito concessuri, quod etiam ipsius hostibus denegare vos puderet.

Haec sunt, Rev.mi etc., quae a vobis nomine Regis vestri flagito. Ea petatio si iusta, vobis utilis, Regi vestro honorifica, et omnibus gentibus christiani orbis saluberrima videatur, ei pro summa vestra aequitate annuatis: ne si adversis patriae vestrae fatis urgentibus, acerbius aliquid contra Regem vestrum inauditum statueritis; res ea nova ac inusitata. Deo iustum vestri offensionem, hominibus reprehensionem, Regi iustum de vobis querendi occasionem, vobis periculum, hostibus vestris gaudium, et reliquis christianis laborem esset allatura.

A. 16.

**Iacobus Faius d'Espeisses, nuntius regis Henrici Valesii
Senatui Regni Poloniae**

Stężyiae, 27 V 1575.

*Orator congregatis persuadere conatur de differenda decisione de rege,
qui nunc in Poloniam reverti nequeat.*

Cop.: AV, Nunz.Pol. 8 f. 201r-v (acclusa litteris Vincentii Lauro ad card. Tholomeum Gallio die 28 V 1575 datis; cfr. N. 307).

Rev.mi, Illustrissimi, Rev.di, Illustres, Magnifici, Generosi ac Spectabiles Domini.

Petii nuper a vobis publice nomine Sacrae Regiae Maiestatis, ut legatos eius, qui in via sunt, per breve tempus expectaretis: exhibui litteras Magnifici Domini Pibraci, unius ex Oratoribus⁴⁹, quibus idem petit, fidem feci eius infortunii, quod illum huc properantem per aliquot dies detinuit. Et iam an-

⁴⁹ Guido du Faur de Pibrac; cfr. A. 15.

tea obtuleram litteras Sacrae Regiae Maiestatis XVI Aprilis scriptas, quibus petebat, ut eosdem Oratores expectaretis. Existimabam, quod vos iure ac ordine omnia negotia vestra soleatis conficere, si ista negligeretis (quae tamen negligenda non videntur), saltem responsum aliquod datus mihi, quod et Regi vestro et Oratoribus eius huc properantibus significarem. Nec enim puto Regem tantum a Deo bis unctum et consecratum ita a vobis parvi fieri, ut ne responso quidem eum dignemini; quod si in uberius tempus differretis, idem mihi videtur, ac si responsum omnino non daretis, nec enim esset in tempore.

Quod istud ad hoc usque tempus factum non sit, id non aliis rationibus imputare volo, quam summis occupationibus vestris. Sed tamen a Dominationibus Vestris obnixe contendeo, ut si negotium istud alicuius momenti esse iudicatis, de eo deliberetis, velitisne Oratores Regis vestri expectare vel non, quod iterum a Dominationibus V.ris per Deum Immortalem flagito, in eamque rem mihi responsum nunc etiam in scriptis detis; et Regiae dignitati et vestrae existimationi accommodatissimum. Hoc ne hosti quidem vos denegatur esse certo scio. Praeterea summopere rogo, ut quia res omnes pio ordine geruntur, in acta vestra inscribi ut credo iubebitis, ne ista omnia, quae cunque a me et Regiae Sacrae Maiestatis et Magnifici Domini Pibracii et meo nomine Nobis proposita sunt omittatis, quin eorum mentionem uti [201v] decet faciatis, ut praesens saeculum et posteritas negotium omne quocunque modo gestum est ponderare possit, etsi in posterum Regia Sacra Maiestas de isto Regno tanquam suo retinendo, conservando et administrando cogitabit, iudicare possint homines iure-ne an iniuria id facturus sit. Ea est iustitiae summa pars, ut ius suum cuique tribuatur, sicut vos existimationem vestram vultis sartam et tectam semper manere. Ita ne patiamini ex eis, quae ad ius et honorem Regi vestro conservandum pertinent, aliquid subticeri. Cum his mea obsequia humillima Rev.mis, Illustrissimis, Rev.dis, Illustribus, Magnificis, Generosis et Nobilibus Dominationibus Vestris submisse commendabo et vobis salutem plurimam ac rebus vestris pacem et securitatem a Deo Immortali precor. Datum Stęziczae XXVII Maii 1575.

Obsequentissimus Iacobus Faius Despeisses
Nuntius Regiae Sacrae Maiestatis.

